

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis Farrago

Melanchthon, Philipp

Basileae, 1565

VD16 -M3220

Eidem

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-312770)

cia esse de belli causis, & spes dissimilimas multorū
de exitu. Sed nos Deum eternum patrem Domini
nostri Iesu Christi oremus, ut exitus sit Ecclesijs sa-
lutaris, & ne deleatur uera doctrina. Quòd uerò
praetextus fingitur, non queri ueritatis oppressio-
nem: oremus etiam Deum, ut ipse, qui est inspector
cordium, ostendat etiam in aduersarijs illum fucitū
sibi displicere. et ostensurū esse non dubito. Etiam-
si multa his uiginti annis dicta & facta sunt minus
moderate: tamen non propterea ueram doctrinam
abijciam, ne laudabo parricidarum consilia. Spe-
ro etiam mediocre exitum. Gratiam uobis habeo
pro pagella, quam misistis: & eam per proprium
tabellarium, cui ego mercedem dedi, remitto. Bene
ualete. Pridie calendas Augusti, 1546.

Eidem.

S. D. Reuerende uir, & amice charissime: Ideo
Deus inseruit humano generi & opus, id est amo-
rem erga sobolem, ut sint commonesactiones de a-
more in ipso erga filium, & erga nos. Ac saepe ma-
gnam mihi cōsolationem attulit hęc cogitatio, con-
sideranti: sic nos à Deo diligi, sicut nos ipsi sobolem
diligimus. Quòd igitur paterno dolore lugetis fi-
liū, praesertim ingeniosum, pietas est. Sed uult Deus
utrūq;: & adfici nos dolore ac desiderio nostro-
rum, & tamen moderari hunc dolorem: praesertim
cum

eum pij non moriantur casu, & uocentur ad cele-
 stem Ecclesiam. Obtemperate igitur Deo, & cogi-
 tate filium iam frui uera beatitudine coram sapien-
 tia Dei. Scio fuisse mentem in eo ardentem fide &
 luce agnoscente filium Dei Dominum nostrum Ie-
 sum Christum, & mores erant sine turpitudine.
 Quòd autem uisus est minus obsequens, etatis &
 nature hæc erant, quæ dedita poeticis studijs, nole-
 bat hæc impediri alijs negocijs. Sed mihi sæpe di-
 xit, se Deo in scholis aut in ministerio Euangelij
 seruiturum esse. Et ut uidetis, ante mortem et in scho-
 lis, & in Ecclesia docuit. Rursus igitur eum com-
 plectemur in caelo, aliquanto post: & ipse uicissim
 tibi patri gratias aget, quòd ad agnitionem & in-
 uocationem ueri Dei, teneram ipsius mentem insti-
 tuiſti. Hac spe futuræ cõsuetudinis leniamus dolo-
 rem. Amisi & ego hoc anno amicos aliquot, & di-
 scipulos, quorum fuit excellens uirtus. Nec dispu-
 tate uobiscum de commoratione filij, cum manserit
 ut Ecclesiam desertam doceret: manerẽ & ipse
 tali loco & tempore. In Abrahamo uidetur mihi
 indoles mitior esse: hunc curate in studijs philoso-
 phicis et doctrina Ecclesie diutius exerceri: quem
 spero uobis uoluptati, & Ecclesie usui fore. Et fi-
 lium Dei oro, ut ipsum & totam uestrã domesticã
 Ecclesiam seruet incolumem. Trado iam in pre-
 lationibus considerationem de Mediatore, propter
 Stancari

Stancari disputationem. De N. etiam ex Vratisla-
uia ad me scriptum est: utinam hoc breui curricu-
lo in littore Baltico feliciter usus esset. Quid enim
illustrauit? Ac potius mentes abduxit à conspectu
meriti ac obedientiæ filij Dei, & fidem noluit esse
fiduciam misericordiæ. Sed hæc aliàs.

Historica de bellis, notiora sunt uobis quam mi-
hi. Ante triduum literas accepi, in quibus mihi si-
gnificabatur, Marchionem Albertum reconcilia-
tum esse Imperatori Carolo, & ducere exercitus
partem contra Gallos.

In Vngaria Turci propter pestilentiam iam quie-
scunt, quæ inter ipsos etiã grassatur. Oremus Deum,
ut ipse pro Ecclesijs Pannonicis & nostris pugnet:
quia uidetis qualia gerant bella nostri bellatores.
Seruabit filius Dei reliquias Ecclesiæ suæ: & ut ser-
uet, toto eum pectore oro. Bene & feliciter uale-
te, Die Elizabethæ, matronæ Pannonicæ, 1552.

Eidem.

S. D. Reuerende & charissime frater: Cer-
tissimum est, à Deo, qui miranda sapientia & boni-
tate genus humanum condidit, insitas esse storgas
erga cognatos: & uelle eum, ut sint cõmonefaciri-
ces de suo amore erga filium & erga nos. Vult nos
adfici desiderio nostrorum. Ideo pietas est, quod
in morte sororis, honestæ matronæ, non sine mœ-
sticia